



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ethices Christianae, Libri Tres

Daneau, Lambert

Genevæ, 1579

Cap. VII. Quot modis tum cognitionis: tum voluntatis nostræ ratione
aliquid agere dicamur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41242

nouit & intelligit. Is verò facit ignorans omnino, qui hæc omnia ignorat minimèque nouit. Sed quia vix ac ne vix quidè huiusmodi rerum omnium ignari homines inueniuntur, dū aliquid agunt, dicendum est eos qui suscipiunt aliquid, quædam ignorare posse & non posse, vt ignorantes appellentur. In nostris enim actionibus quædam sunt, quemadmodum rectè ait Arist. Præcipua & *κλειώτατα*: & quædam non, quales sunt reliquæ rerum *καταστάσεις* & circumstantiæ. *Κλειώτατα δ' εἰσὶ δοκεῖν οἷς ἢ ἀρχῆς, ἢ οὐ ἐνεργ.* inquit ille libro 3. cap. 1. id est, Præcipua sunt in omni actione, materia & finis. Ac materia quidem est res ipsa, quæ in agendo tractatur, veluti qui mœchatur scit materiam & subiectum, vt ita loquar, suæ actionis & scortationis esse mulierè alienam, quæ non sit ipsius vxor: qui furatur scit suæ actionis subiectum & materiam esse aurum vel argentum alienum, vel quid aliud huiusmodi quod contrectat. Qui homicidium committit, scit materiam sui sceleris fuisse hominem sibi similem, quem trucidat. Ergo materia ipsa & subiectum actionis vna quædam est de præcipuis circumstantiis, vt cum Aristotele sentit quoque Gregor. Nyssenus. Finis vero actionis est intentio & scopus ille, quem quisque, dum agit, animo sibi destinatur & proponit: qui finis præcipua quædam est actionum nostrarum pars circumstantia & causa. reliquæ verò circumstantiæ, quæ in omni actione nostra spectandæ sunt, sunt hæc septem, instrumentum, locus, tempus, persona, modus, reiteratio siue numerus, & species seu forma quædam externa ipsius a-

ctionis, ex qua aliquid plus minúsve turpitudinis & honestatis in ipsa actione inesse potest. Hæ verò septē circumstantiæ non sunt quidem actionis materia, aut ipsius, vt vocant, actus essentialis, ita tamē actioni inherēt & sunt annexæ, vt actiones nostras aliàs rudes velut informēt & vultū & faciem illi propriam inducant, atq; quodammodo eas vestiāt, vt quales sint agnoscātur. Itaque ab illis, nisi animo, separari non possunt, vt tota singularum actionum nostrarum integritas & ratio verè, & quemadmodum oportet intelligi possit. Ergo qui aliquid agens hæc omnia verè & meritò ignorauit, is rectè omnino ignorans fecisse diceretur. Partim verò ignorans, partim sciens is facit, qui ex his omnibus quæ diximus, quædam nouit, quædam non nouit. Excusat autem nos ea demum ignorantia, quæ & probabilis est: & in mediocriter prudentem virum cadit: non autem crassa illa ignorantia & supina (nam hæc proculdubio dolo malo vel lata culpæ æquiparatur) Præterea quæ est earum rerum ignoratio, quas scire omnes tenemur propter cōmuniter insitam homini notitiā, qualis illa est quæ sensibus corporis inest: vel propter ipsius conscientiæ nostræ testimonium, ea, inquam, demum ignorantia nos excusat, quæ non nescit ea, quæ vel sensus iudicat, vel conscientia testatur. Quæ enim sciunt omnes ipso sensu corporis teste, veluti ignem calidum esse: vel ex communi conscientiæ admonitione & testificatione, velut adulterari, furari, mœchari turpe esse, ea si nos ignoremus, minimè certè excusamur. Inde est illud
Pauli

Pauli Romanor. 2. v. 12. *Quicumque sine lege peccauerunt, sine lege peribunt.* Hanc autem ignorantiam scholastici barbaro nomine Vincibilem appellarunt. Sed & illud quoque obseruasse nō erit inutile, quod disertè annotat Aristoteles, aliud esse quem facere aliquid ignorantem: aliud autem per ignorantiam vel ignoranter. Is facit ignorans, cui aliqua quantumuis extranea causa obstat, ne intelligere vel animaduertere possit, quæ facit, veluti præceptus, & temerarius aliquis, item iratus, item ebrius ignorans facit, quæ committit. Per ignorantiam autem ea fiūt, quæ vt fierent, nulla alia, quàm ignorantia ipsa causa fuit: veluti Noah nondū percepto quanta esset vis vini ex vite à se fata nascentis inebriatus est, idque per ignorantiam: item si quis aduenā persuasus à ciue credat esse præceptum à magistratu, vt omnes extranei & aduenæ saltent in foro, ipse saltitet, per ignorantiam facit. Longior autem de facti vel iuris ignorantia disputatio ad Iurisconsultos pertinet, ad quos nos eam remitemus. Atque hi sunt varij modi, per quos cognitionis nostræ ratione aliquid agere dici possumus. Voluntatis autem nostræ varia quoque ratio & distinctio est, & propter eam varijs modis aliquid à nobis fieri potest. Nam quod agimus, id vel

}	Volentes
}	Coacti facimus.

Sic enim distribuere malo, quàm in ea quæ voluntaria & inuoluntaria vulgò dicuntur: aut, vt Græci faciūt, in *Εἰκαστον* & *Αἰκαστον*. Hæc autē iam explicemus singula. Volentes aliquid agimus dupliciter, vel sponte nimirum vel non sponte.

Quamquã autẽ absurdẽ dici videtur nos aliquid volentes facere, quod tamen non sponte, sed tãquam inuiti facimus, rei tamen experientia atque communis hominum vox, id quod hoc loco proponimus, verum esse demonstrabit. Ergo sponte fiunt à nobis quęcunque grato, læto, expetente, & iucundo voluntatis nostrę motu agere gestimus, desyderamus, & optamus, siue id ipsi proprio motu & nemine suggerente expetiuerimus: siue ab alio primũ admoniti & persuasi, voluntatis nostrę assensu, eoque iucundo, alienum illud consilium approbauerimus, & secuti fuerimus. Sponte enim agunt, qui siue proprio motu ipsi: siue aliena suggestionẽ & consilio inducti iucundo voluntatis assensu aliquid faciunt & optant. Quemadmodum Dauid spõte & proprio motu cũ Beerseba mœchatur à nemine, præterquam à propria cõcupiscentia, impulsus 2. Samuel. II. At idẽ cũ Absalonem filium ab exilio reuocat, Ioabi, id est, consilio alieno paret & obsequitur cap. 14. Hanc differentiam & distinctionem nostram confirmant hi scripturę loci Iac. I. v. 14. I. Timoth. 2. v. 14. Genes. I. v. 27. & 3. v. 6. Hęc igitur quę sponte facimus, eligimus ipsi tanquam illa per se nobis vtilia vel bona, vel iucunda sint, non autem maioris mali metu sequenda. Non sponte fiunt, quę non iucundo & grato voluntatis nostrę motu & assensu: sed comparatione, & vt vocant, sub ratione minoris mali vel incõmodi à nobis eliguntur & fiunt, quemadmodum nautę & mercatores dum in periculo maris versantur etiam proprijs manibus mercium suarum iacturam fa-

ram faciunt, adeoque ipsius navis armamenta abiiciunt Actor. 27.v.18. & 19. Veluti qui à Turcis & infidelibus captus mauult Christo renunciare, quàm propter confessionem nominis ipsius in vitæ discrimen adduci. Hæc autem etiam volentes facimus, quanquam tamen, quia sponte non optabamus, sæpe inuiti, sæpe etiam coacti ea facere dicimur. quanquam tamen coactionis, quàm inuitæ & non spontaneæ voluntatis alia planè definitio est, si propria quærat. Sed qui tam accuratè ista non perpendunt, ferè coactam voluntatem vocant omnem, per quam à nobis aliquid fit nõ sponte. Sic Iurisperiti, coacta voluntas, aiunt, voluntas est. Ergo cū quis tantum maioris & imminētis mali metu & comparatione hoc, quàm illud mauult & potius eligit, non sponte quidem facit, sed tamē facit volens. Hoc enim illi prætulit & agere maluit, in quo non potest abesse voluntas. Rectè enim Aristoteles, Οὔτος δὲ ἀκούει τῆ βίας ἢ δι' ἀγνοίαν, τὸ ἐκείνου δόξεν αὐτῷ εἶναι, οὗ ἢ ἀρχὴ ἐν αὐτῷ εἶδόν τι καὶ ἐκείνου ἐν οἷς ἢ παρῆς, id est, *Quum igitur omne illud inuoluntarium sit, quod & per vim siue coactione, & per ignorantiam fit, id voluntarium esse videtur, cuius agendi principium in eo est, qui agit, & qui singula scit, in quibus actio versatur.* Ita ille lib. 3. ἠθικ. cap. 1. Quod ipsum alibi explicans idem Aristoteles sic ait. Παρῆς δ' ἐκόν. καὶ ἴδ' ἢ ἀρχὴ τῆ κινήσεως καὶ ὁργανικὰ μέρη ἐν ταῖς τοιαύταις παρῆσιν ἐν αὐτῷ ὄντι. ὡν δ' ἐν αὐτῷ ἢ ἀρχὴ, ἴδ' αὐτῷ ἢ τὸ παρῆς, ἢ μὴ. Ἐκείνου δὲ τὰ τοιαύτα. 1. *Facit autem quis volens, cum principium mouens partes nostri corporis instrumentales in huiusmodi actionibus*

in ipso agente inest. Quarū. n. rerū in aliquo positū est principiu, in eodē quoq, sitū est, ut agat, vel nō. Quæ autem sunt huiusmodi, ea sunt voluntaria. Ex quibus iam intelligi facillimè potest, ea omnia esse voluntaria, quanquam tamen non spontanea, quæ maioris mali comparatione, & metu facimus, qualis est ut cruciatum fugiamus abnegatio salutaris doctrinæ Christi. Quare illud etiã rectè efficitur nos propter ista iustissimè & à Deo & ab hominibus puniri Matth. 10. v. 28. & sequenti. Sic etiam qui mentitur propter vitam hanc conferuandam, impropriè dicitur, ut Anselmus ait, inuitus mentiri, quia nemo propriè dicitur inuitus velle, quoniam hoc non nisi volens vult. Nam sicut quum mentitur propterea, ait idem, vult ipsum mentiri: sic cum vult mentiri, vult ipsum velle. Neque sanè excipi potest nos minimè volentes ista agere, quia neque ista facere per nos & sponte optamus: neque, quum fecimus, lætamur. Est certè quidem hæc aliqua resipiscentiæ spes, cum qui eo modo peccarunt, dolent, & lugent: se tamen volentes egisse vel peccasse non possunt vel ipsi diffiteri. Præclare enim Anselmus idem, Neutrum fuit determinatè in necessitate, quia vtrunque erat in potestate & voluntate. Ergo hi necessariò non peccant, sed voluntate. Sed nec inuiti. Primùm, quia hoc quàm illud, veluti Christū abnegare, quàm mori vel cremari maluerunt: & cum vtrunque esset ipsis propositum, hoc quàm illud potius elegerunt. Est autem electio quædam & præcipua illa quidem voluntatis, uti diximus, species, quia qui hoc mauult, certè vult. Itaque in eo voluntate,

atque

atque etiam consensu peccat, qui Christum metu mortis abnegat. Vnde Bernardus. *Quum dicitur cogi voluntas, à seipsa tantum, non ab alio cogitur. Nam qui metu periculi aliquid vult, vult: etsi non nisi impellente illo metu vult.* Anselmus hoc explicat sic, *Alia voluntas est, qua volumus aliquid propter se: alia, cum aliquid volumus propter aliud: sed tamen nemo nolens vult.* Ergo nemo peccat inuitus. Tum deinde, quia istius actionis & abnegationis exequendæ principium & causa mouens in nobis instrumenta, quale est os nostrum, lingua, & illius agitatio, in nobis ipsis sita erat. Neque enim os, & linguam nostram mouemus, nisi volentes. Vnde verissima huius tam nefariæ defectionis & orationis pronuntiandæ causa fuit voluntas nostra, quæ hanc potius, quàm illam partem elegit: seque in eam inclinavit. Omnibus enim membris nostris cor siue voluntas, tanquam imperator quidam, imperat, sine cuius imperio & iussu nunquam illa à nobis aguntur & mouentur. Fateor ego quidem huiusmodi actus neque ἀπλῶς, neque ita esse voluntarios, quemadmodum sunt illi, qui spontanei nominantur: inuoluntarios tamen esse, & esse eiusmodi, quales qui βίαιοι & coacti postea dicentur, pernego: quia principium & causa ipsissima mouens in nobis instrumenta huiusmodi actionū nostrarum est in nobis, nostraque potestate. Quidam certè hos actus medias actiones appellant, quòd partim sint volūtariæ: partim autem inuoluntariæ. Sed, meo quidem iudicio, pessimè. Sunt enim voluntariæ, quanquam non sunt spontaneæ. Alij

huiusmodi actus indirectè voluntarios nominare malunt: Spontaneos verò directè voluntarios vocant: quia voluntariū diuidunt in illud quod directè, & indirectè volūtarium est: quorum sententia non vsquequaque videri potest aspernanda. Scholastici vt hanc difficilem quidem quæstionem explicant, voluntatis nostræ actus duplices constituunt, Elicitos, & Imperatos. Elicitos vocant, quos ex se ipsa voluntas nostra habet & exponit, qualis est ipsum velle expetere, assentiri, consentire, eligere. Hos actus nūquam voluntatem inuitā facere & præstare contendunt. Et rectè quidem. Quis enim non volens velle vel expetere aliquid vnquam dicetur? Quis sine voluntate vel assentiri, vel consentire, vel hoc quàm illud malle fingi potest? Quamobrem huiusmodi actus voluntatis nunquam sunt inuoluntarij, quanquam tamen sæpe non sunt spontanei. Neque enim quisquā velle aliquid sine voluntate potest. Neque in eo quod vult voluntas, potest non esse voluntas, adeò quidem vt etiam nolitio ipsa sit voluntas quædam, quatenus qui non vult & renuit aliquid, voluntate quadam illud refugit & non vult. Velle enim voluntati tam est necessarium, naturale, *inuisibile* & proprium, quàm intellectui intelligere: linguæ sapes gustare, oculo videre. Ergo qui aliquid vult, voluntate vult: & quæ pars in anima velle potest, illa certè est voluntas. Quod autem est cuique rei, veluti voluntati, naturale, illud ab ea inuita non fit. Quare voluntas, quatenus vult, minimè inuita vult, sed volēs. Illud igitur quod in scholis vulgo dici solet, est

let, est verissimum, voluntatem nostram, quoad ipsam quidem volitionem, nūquam cogi posse. Actus autem imperati sunt, ex scholasticorum sententia, ij, quos alijs animæ facultatibus voluntas imperat & præcipit, veluti sentienti vt hoc vel illud videat, gustet, tangat, contrectet: mouēti se loco facultati vt in eum locum progrediatur & corpus deferat: appetenti, vt hoc vel illo cibo vescatur. Horum actuum ratione voluntatem nostram coactam vel inuitam dici posse putant, quia cum ij actus ad finem certum assequendum dirigantur: voluntas autem in hoc potius, quàm illo pro fine sequendo ac proponendo cogi possit, fit, vt etiam voluntas nostra in illis actionibus coacta appelletur. Atque hæc illi, quæ etsi scitè dicta videntur, nos tamē neque vera, neque sibi ipsi cōsentientia esse existimamus. Ac vera esse non possunt, quia nisi hæ ipsæ actiones essent voluntariæ, nullum in ijs, dum aguntur, peccatum inesset. Quid igitur? Certè volitionē à causa distinguendam esse dicimus. Nam volitio quidem, quæ in nostra volūtate consideratur, est voluntatis actus: & semper volūtaria est. Causa autē cur hæc volumus, sæpe non est nobis grata, iucunda, & optabilis. Rectè enim Augusti. *In tantum est peccatum voluntarium, vt nisi esset voluntarium, non esset peccatum.* Itaque cum quis metu mortis thura idolis incendit, eatenus tantum peccare ex superiori distinctione diceretur, quatenus animo & voluntate elegit potius thus offerre, quàm mori: in eo verò quòd hanc suam perfidam voluntatem postea exequutus est, nimirum, quòd
d.ij.

idolū adiit, quòd illūc thura idolo obtulit: quòd cremavit, quòd flexis genibus oravit, peccasse non censeretur, quia hi omnes actus imperati sūt & coacti, & inuitę volūtatis actiones. Quòd tamen est falsissimum. Tam enim peccat quis, cū ista facit, & ad tam impuras operationes corporis sui membra vel motus accommodat & affert, quā quum se facturum esse primum profitetur & eligit, quia non tantū animo, sed etiam corpore ipso nostro Deo seruiēdum est, sūtque singula membra nostra illi planē dedicanda, Rom. 10. v. 10. & 12. v. 1. Sed neque superiori ipsorum de actibus elicitis doctrinę ista consentanea videri possunt. Cū enim omnes hi actus voluntatis imperio & iussu fiunt, voluntas autem nostra neque inuita, neq; coacta, sed volens etiam, ex istorum sententia, ista fieri velit & imperet: sequitur, vt horum etiam actuum ratione sit volens, non coacta nostra voluntas. Alię quidem animi nostri facultates imperatę à voluntate dici fortasse poterunt: ipsa verò voluntas, quę in eo quod elegit & maluit, id est, magis voluit, voluit, certē imperata: coacta, vel inuita dici non potest: neque ratione actionum à se in his rebus præceptarum inuita, vel non volens fecisse vnquam iure censebitur. Nam quod iidem illi afferunt voluntatem, quoad finem, cogi posse: quoad volitionē autem, non posse, falsa est distinctio. Non magis enim in fine hoc potius, quā illo sequendo voluntas cogitur, quā in hoc potius, quā illo volēdo & præferendo, cū voluntas ipsa per se sit alicuius finis appetitio: & ad nihil aliud naturā feratur,

feratur, vel inclinetur voluntas, quàm vel ad finem ipsum, vel ad ea quæ ad finem nos deducunt. Præclarè enim Aristoteles ὅτι δὲ βέλῳσι τὸ τέλος, adèò vt is qui voluntatem, quoad finem cogi posse contendit: quoad volitionem autem non posse dicit, is, inquam, sibi planè repugnet: aut voluntatem quandam statuat, quæ nullum finem spectet, sibi que proponat, Quod est prorsus ἀδύνατον. Afferi quidem aliqua nobis occasio potest, cur hoc potius, quàm illud velimus & præferamus: voluntas tamen ipsa, & actionis nostræ finis nullus eligi, nisi à nobis volentibus, & hoc illi præferentibus vnquam potest. Et hæc quidem de ijs actionibus dicta sunt, quæ volūtariæ sunt, siue ἐκείσται: siue illæ spontaneæ sint, siue minime spontaneæ, inter quas tamen magnum est, & quoad hominum, & quoad Dèi ipsius iudicia discrimen, cum spontaneæ magis sint tum laudabiles, tum etiam vituperandæ: non spontaneæ verò minus, veniàmque sapissimè mereantur. Veniamus ad alterum propositæ distinctionis membrum, in quo de nobis aliquid coactò & per vim agentibus dicendum est. Distingunt igitur quidam inter hæc tria, Violentiam, Coactionem, & Necessitatem. Ac Violentiam vel Vim generale nomē faciūt, quod & in bruta & in homines, atq; etiam in ea quæ sensu carent, cadat, adèò vt etiam vis, vel, vt ipsi loquuntur, violentia & brutis & hominibus, & arboribus ipsis afferi dici possit: cum eas præter naturalem situm & flexionem intorqueamus, Coactionem de arboribus & brutis dici

Cap. 7. ETHIC. CHRIST.

non posse. Solis enim hominibus eam cōpetere, quia soli voluntate præditi sunt, qua & bruta, & planta, & virgulta carent. Sed hæc tam subtilis & accurata distinctio neque fidem ex probatis authoribus habet, neque ex communi loquendi vsu recepta est. Ergo coactio quid sit primùm explicemus: deinde eam à necessitate separemus. Coactum Græci βίαιον dixerunt, Coactionē βίαν. Est autem Coactio motus, cuius principium & causa mouens instrumenta illius actionis & motus neque est in nobis: sed extra nos, neque nobis aliquem ad id agendum assensum inclinationemque affert, sed nobis tantum tanquam mutis & merè passiuis instrumentis vititur. Itaque Aristoteles libro 3. ἠθικ. capite 1. τὰ δὲ πάντα φατέον βίαια, ἡ ἀπλῶς μὲν, ὅπου ἂν ἡ αἰτία ἐν τοῖς ἐκτόςῃ, ἢ ὁ πρῶτος μὴδὲν συμβάλλεται. Sic qui ad idolorum templum inuitus & reclamans à multis vi defertur & rapitur, cuius repugnantis manus vi ad thura admouetur, cuius reluctantis digiti constringuntur vt thura accipiāt, deinde distenduntur, vt illa thura in focum preparatum immittant, quum ipse se inuitum ostenderet: certè coactus ille dicetur, & vi facta idolis thus incēdisse & obtulisse censendus est. Id quod in multis olim Christi martyribus factum in historia ecclesiastica legimus. Ergo qui vi sibi illata & coactum se fecisse aliquid profiteretur, primùm declarauerit, dum ita impellitur, necesse est se minimè illi actioni assentiri: deinde eo tanquam bruto & merè passiuo instrumento vsi sint alij oportet, qui eum cogebant. Est enim illud coactum, cum agendi principium

cipium non tantum extra agentem est, sed nullam ei, qui agitur, inclinationem vel appetentiam ad eam actionem iniicit & affert. Nam si quis fecit & ipse volens quod sit tandem persuasus ab eo qui cogebat, is omnino coactus non est, quia *ὁ πείθει* & causa mouens tandem inclinavit & inflexit sensum & animum hominis patientis & sic agitati, ut & ipse tandem vellet, & voluntario motu membra sua cieret. In quo motu cessat coactio. In ijs autem qui omnino coguntur, quia nullus est voluntatis eorum assensus, neque peccatum inest, neque etiam laus per se vel virtus: nisi fortasse propter finem, propter quem dissenserunt, quum ista tota sit aliena potius actio, quam eius, qui vim patitur. Quod autem quidam existimant quacunque sunt bona, iucunda, & vtilia, illa nos cogere, certe absurdum est, & ab Aristotele magna ratione refutatum, cum nulli rei voluntas nostra contra assentiatur, quam ei quæ vel bona vel iucunda, vel vtilis esse à nobis iudicatur. Et hæc quidem de coacto & de coactione. Necessarium autem, quod Græci *ἀναγκασίον* vocant, aliud est quam coactum, & aliud necessitas est. Necessitas est causarum ad sua effecta *ἕξις* quædam, id est, affectio & habitudo, ex qua tam arcta & firma illatio & conexio consequitur, ut sit inuitabilis. Itaque effectorum ex suis propriisq; causis dependentiam tantum spectat necessitas: non autem proprie consensus vel dissensus rationem, id est, voluntatis adiunctionem vel denegationem. Nam necessitas etiam in rebus inanimatis cernitur, Coactio vero tantum in animatis, proprie-
d. iij.

que in homine, qui voluntatem habet. Vnde fit, ut triplex Necessitas constituatur. Naturalis, Hypothetica siue Suppositionis, & Æterna siue immutabilis. Necessitas naturalis est ea, quæ ex causis naturalibus certos euentus & indubitatos producit, veluti Ignis vrit: grauiam deorsum, leuiam sursum feruntur: homo est λογικός. Hypothetica necessitas est ea, quæ ex vno dato & concessio aliud necessario & euidenti consequutione colligit, veluti, si dies est, Sol lucet: si ambulat, mouetur: Si est verus Christus, est Deus & homo. Æterna & immutabilis necessitas est ea, quæ ex æterno Dei decreto immediatè pendet: longè & naturali, & hypothetica certior, quia nūquam impediri potest, veluti Oportuit Christum pati & resurgere à mortuis tertio die Luc. 24. v. 46. Oportuit Christū nasci ex Virgine Matth. 1. v. 22. Oportet omnes electos & filios Dei saluos fieri. Actor. 13. v. 48. Quam autē necessitatem coactionis vocant (quæ tunc est cum extrinsecis & non proprijs causis agentibus aliquid effici & euenire oportet, veluti homine lapidem sursum torquēte, lapis sursum feratur necesse est) ea partim ad naturalem, partim ad hypotheticam necessitatem pertinet, si causa ipsa consequutionis & effectiois spectatur, neque propriè necessitas est appellāda, sed potius coactio. Differūt igitur necessario & coactio aliquid fieri, vti Necessitas & Coactio inter se differunt. Coactio est, quum præter animi assensum aliquid in nobis fit potius, quàm à nobis. Inuiti enim prorsus facimus. At necessario facimus ea, quæ vel propter rerum ordinem,

ordinem, vel naturæ nostræ conditionem, vel etiam Dei ipsius decretum inuitabili quadam cōsequutione eueniunt, cuiusmodi sæpe multa volentes, atque etiam spontanei facimus: veluti necessariò edimus, bibimus, somnum capimus, non tamen inuiti vel coacti, sed volentes & lubenter: necessariò Deus ipse bonus est, sapiens, iustus, misericors, non tamen inuitus vel coactus: sed volens. Necessariò Christus mortuus est, non tamen inuitus. Philip. 2. v. 8. Necessariò peccamus omnes, non tamen inuiti, sed sponte. Coactio enim voluntatis nostræ inclinationem nullam in eo esse vel propendere designat, quod fecimus, quam tamen Necessitas non excludit. Vnde qui sic ista confundunt, vt ea, quæ necessitate quadam à nobis fiunt, concludant eadem ab inuitis & coactis fieri, pessimè colligunt & hallucinantur. Nam à rebus diuersissimis, prorsusq; dissimilem definitionē & naturam & finem habentibus argumentantur. Id quod pulcherrimè varijs in locis docet Augustinus, neque scholastici ipsi diffitentur. Atque hi sunt tot tàmque variij modi, per quos tū intellectiōnis, tum voluntatis nostræ ratione agere dicimur. Pergamus ad reliqua.



CAP. VIII.

De principiis & causis humanarum actionum, quæ sunt hominis propriæ. Ac primùm quidem de ijs in genere.